



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt I. De humanæ vitæ miserijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

I.  
IVSTITIA ET BONI-  
TAS DIVINA QUÆ FAMIS ET  
INFIRMITATIS TEMPORE, ITEM IN  
MORTE, SEPULTVRIS, ET CETERIS HUMA-  
NÆ VITÆ MISERIIS, TRISTIISQUE SEM-  
PER AGNOSCENDA

EST.

CAPVT I.

*De humana vita miserijs.*



PARSIM has attigi, tractatibus præcedentibus; quæ nunc tandem etiam enucleatè, atq; ex professo sunt considerandæ. Sunt enim, præter elementorum pugnas, condicionem nascendi, inopiam, infamiam, bellorum mala, tot aliæ quoque calamitates, in hac vita, vt meritò ea *lachrymarum vallis* appelletur, ne que sine causa infans, in Rascato, duobus cornibus deformis natus, quatuordecim diebus antè, quàm nasceretur, auditus sit plorare. Immò, vt, si nasci homo denuò posset, ac *in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci*, sepe ad tempus eò reuerti deberet, vnde in lucem prodijt, exemplo illius infantis, qui anno, quo Saguntum ab Hannibale deletum est, inibi natus, in vterum protinus reuersus est, quasi refugeret imminentem vrbi calamitatem. Quod enim de Iuda Seruator dixit: *Va homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, id multi quoque alij de se, cum impatientia dicunt, quando miserijs pressi, non agnoscunt se ærumnis ornari potiùs, quàm grauari.

Et sanè mirandum magnopere est, hominès tanta huius vitæ cupidine & amore flagrare, vt si eam in innumeras sæculorum ætates extendere possent ac propagare, nullum in ea re sibi studium, nullam contentionem intermittendam existimarent: cum tamen multò plura reperiantur, & sint, quæ nobis eandem vitam odiosam potiùs & acerbam, quàm gratam & amabilem,

A

reddant.

I.

Maiol. dier. canicul. coll. 4.

Ioan. 3. 5.

Matth. 26. 24.

II.

7.4

reddant. Quocumq; enim nos mente, quocumq; nos oculis ver-  
tamus, omnia plena miserijs, plena calamitatibus, plena ærum-  
nis grauissimis videmus. Quas quidem ærumnas Philosophus  
quispiam non intelligendi modò, sed dicendi quoque laude præ-  
clarus, cùm sensu iuxta animoque esset probè complexus, ita de  
eis differuit ac scripsit, vt plurimi, qui vel illum audierunt, vel  
scripta eius legerunt, morte varijs modis quæsitæ, se vitæ huius  
malis eripere non reformidarent. Valerij verba audiamus. *Quan-  
tum eloquentia valuisse Hegesiam Cyrenaicum philosophum arbitra-  
mur? ait, qui sic mala vitæ representabat; vt eorum miseranda ima-  
gine audientium pectoribus inserta, multis voluntaria mortis oppeten-  
da cupiditatem ingeneraret: ideoq; à rege Ptolemao vltariùs de hac re  
differere prohibitus est.* In quorum malorum cogitatione mihi  
quoque versanti visum est, de his ipsis, quibus nos, quotquot  
viuimus, immersos conspicio, miserijs deductiùs esse differendum:  
non eo quidem consilio, vt homines mea disputatione, perinde  
ac Hegesias ille, quem dixi, ad laqueum, ad ferrum, ad præci-  
pitia impellam, quibus se humanis molestijs & acerbitatibus li-  
berent (grande namque hoc nefas foret, & piaculum inexpiabi-  
le) sed partim vt vitam suam ne nimium ament, & si quando æ-  
rumnas eius perpetiantur, aut illam omnino amittere necesse  
sit, bene secum potiùs, quàm malè infelicerque agi arbitren-  
tur.

Val. Maxim.  
lib. 8. c. 9.

III.

Atq; vt hinc nostra principium capiat oratio; Thracibus o-  
lim hunc fuisse morem percepimus, vt hominis ortum multis tri-  
stitiæ ac mœroris, occasum verò latitiæ voluptatisque significa-  
tionibus, & argumentis prosequerentur, propterea, quòd illum  
multarum maximarumque miseriarum principium, hunc verò  
earundem finem existimarent. Quorum quidem opinio (de  
more namque nihil nunc dico) etsi aliquantum discrepat à sen-  
tentia sapientum & religione nostra, qua non omnes in fata cor-  
cedentes, omnibus molestiarum generibus eripi, sed eos, qui vi-  
tam impiam multis & atrocibus sceleribus inquinatam vixerunt,  
ad multò grauiores, adeoque sempiternas ærumnas abripi credi-  
mus, tamen quæ de principio, nihil eorum iudicium à nostro dis-  
sentit. Neque dissentit ab ipsa indole & natura nostra, quæ vi-  
tam

tam

tam ipsam à lachrymis inchoat. *Et ego natus accepi communem* Sapi. 7. 3.  
*aërem, ait ille, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem*  
*similem omnibus emisi plorans.* Nimirum infantibus rationis adhuc  
 vsu destituti vel natura præfagit, in quas miseras nascantur.  
 Quod parvuli sentiunt, adultiores intelligunt. Hominem, siqui-  
 dem ex utero materni velut ergastulo in hunc orbem egressum,  
 nuda nudum excipit humus, quam, Deus bone, pusillum, quam  
 tenerum, quam infirmum, non ambulare, immò nec reperere gna-  
 ram. Qui vix dum è carceris illius tenebris in hanc lucem pro-  
 ductus, tamquam reus conijcitur in fasciarum vincula, quibus,  
 manus pedesq; devinctus iacet in cunis infans miserrimus: cog-  
 noscit mortalium neminem, nec ipsos quidem progenitores, im-  
 mò nec ipsam quidem Deum immortalem. Quamobrem illi i-  
 dololatrarum cæcitas comparatur. *Etenim in erroris via diutius* Sapi. 12. 24.  
*errauerunt, deos astimantes hæc, qua in animalibus sunt supernacua,*  
*infantium insensatorum more viventes.* Agnelli vix nati statim ad  
 ubera matris adrepunt: infans nec motu, nec nutu se potest iuva-  
 re; neq; verò sermonis vsu. Vagitu, ploratu, fletu necesse habet  
 omnia vitæ necessaria flagitare. Comesse vult? plorat. bibere?  
 plorat. fasciis aliquantum leuari, & arctis illis vinculorū nexi-  
 bus dissolui? plorat. Lugere igitur ac flere natura nos primùm  
 docet: risus (si Plinio credimus) ante quadragesimum diem, ne-  
 mini datur. Quando autem incessus? quando vox articulata,  
 quando firmum cibus os? nihil scit sine doctrina, non fari,  
 non ingredi, non vesci sine digito matris aut nutricis.

Hæc vitæ humanæ præclara primordia, quibus quemad-  
 modum cetera consentiant, audiamus. Cùm enim homo partim  
 corpore, partim animo constet, vtraque pars tanta malorum ac  
 calamitatum multitudine varietateque cumulatur, vt quamvis  
 hoc vivendi spatium sit angustissimis finibus circumclusum, mul-  
 tis tamen nimis longum videatur; quo modo vel hi, qui febribus  
 æstuant, alijsque morborum generibus perpetuò cruciantur, ho-  
 ras esses putant integros dies menses, annos. Atq; vt de anime  
 priùs dicamus, quæ navis in æquore tot tempestatibus, tot pro-  
 cellis ac fluctibus, tot ventorum inter se pugnantium ac depre-  
 ciantium flatibus obiecta est, quot moribus, quot perturbatio-

nibus

nibus hæc quantumvis caelestis, & ex diuina mente, vt quidam loquuntur, libata ac decerpta particula, nunc huc, nunc illuc miserandum in modum impellitur? Quoties eum formidines terrent? quoties ægritudines exedunt? quoties effrænarum cupiditatum ac libidinum æstus incitant? quoties irarum flammæ incendunt? quoties curarum ac sollicitudinum stimuli pungunt, fodiant, sauciant? Quibus rebus fit, vt numquam ei, vel perrarò illa tranquillitatis felicitas contingat, nihil vt metuat, nihil concupiscat, nihil angatur, nullo alio commotionis genere, velut aura fluctus commouente, turbetur. Numquid ergo hoc, quod vi-

S. Augustin.  
lib. Medit. c.  
21.

*humores tumidant, dolores extenuant, & ardores exsiccant, aër morbida, esca instant, ieiunia macerant, ioci dissolunt, tristitia consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitia instant & iactant, paupertas deiecit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, moeror deprimat. Et alio loco: Nunc gaudeo, statim tristor: nunc vigeo, iam infirmor: nunc viuo, statim morior: nunc felix appareo, semper miser: nunc rideo, iam fleo. Sicq; omnia mutabilitati subjacent, vt nihil una hora, in vno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat: subsequitur his importuna mors: qua mille modis quotidie miseros homines inopinatè rapit.*

Idem tom. 9.  
lib. 1. de visitat in firmo rum.

V.

Atque hæc doloris argumenta, partim è corpore in animam, partim ex anima in corpus redundant. Corpus autem ipsum quantis laboribus, quantis sudoribus alendum est, ac sustentandum? Qua quidem in re non immeritò dubitet quispiam, meliørne parens homini, an iniustior nouerca videatur natura? quam cum cæteris animantibus, neque laborantibus, neque sudantibus magnopere, facilem, & cuique generi congruentem, victus parandi rationem monstrârit, earum principem solùm, ad vitam tolerandam necessaria, tanta corporis & animi contentione sibi conquirere ac comparare voluerit. Miser enim homo, ait Comicus ille, qui, quod edat, quarit, & agrè inuenit; ille miserior, qui & agrè querit, & nihil inuenit; ille miserrimus est, qui cum edere cupit, quod edat, non habet. Quid autem hac miseria communius? quid frequentius? his præsertim temporibus, quibus

quibus complures mortales in victu queritando omnem operam, omnem laborem propemodum frustra consumunt. Quemadmodum aranea magno studio telas, velut retia quædam, filis ex suis ipsius visceribus eductis, ad captandas muscas contexit: quod opus vix dum perfectum sæpe vel ab hominibus decutitur, vel venti validioris exortu disturbatur, ac dissipatum fertur per aëra. Quantis laboribus terra proscinditur? aratur, seritur? Et tamen quoties alieni intrant in messem colonorum? quoties hostilis equitatus proterit *sata lata boumq; labores?* quoties collectas iam atque in horrea inuectas fruges asportat indomitus miles? quoties vel segetes maturas grando, vel totos manipulorum aceruos ignis, de cælo cadens absumit? Ita in reliquis quoque omnibus, quæ corpus pascunt, corpus patitur. *Nos ignari rerum,* ait S. Hieronymus, *putabamus nuptias saltem carnis habere latitias. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum, propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit?*

Porro autem cum natura nobis corpora infirma dederit, ijs etiam varios morbos, & subinde insanabiles adiunxit, quos vnâ cum alijs malis ex Pandoræ pyxide in humanum genus effusos fingunt Poëtæ. *Morborum tam insivita est multitudo, ut Pherecydes Syrius copia serpentium ex corpore eius erumpente expirauerit. Quibusdam perpetua febris est, ut C. Maccenati. Eidem triennio supremo, nullo hora momento contigit somnus. Antipater Sidonius Poëta omnibus annis vno die tantum natali corripiebatur febre, & eo consumptus est satis longa senecta.* Hæc Plinius, qui paulò superius illa præmiserat: *Publius Cornelius Rufus, qui Consul cum M. Curio fuit, dormiens oculorum visum amisit, cum id sibi accidere somniaret.* Horum morborum multitudinem ac varietatem, qui nosse desiderat, adeat Pharmacopolæ tabernam, & inspectis tot pyxidibus, tot capsulis, tot vasis, interroget, cui quæque morbo pellendo afferentur. Immo inspiciat medicorum volumina innumeris medicamentorum referta agminibus, quæ tamen humanis corporibus curandis ac perlanandis nequaquam sufficiunt. Nascentur enim in dies noua, & antehac medicis incognita morborum genera, de quibus nihil Hippocrates, nihil Galenus, nihil

S. Hieronymus  
lib. 1. aduers.  
Iouinian.

VI.

Plin. lib. 7.  
nat. c. 51. & lib.  
cod. c. 50.

Cic. lib. 3.  
Tusc. 99.

Theophrastus, nihil alij vel medici, vel chirurgi. Quoniam igitur *caussa morbi inuenta, curationem inuentam esse* putant medici, his tot nouis morborum formis, nouæ curationes, noua medicamenta excogitanda sunt. At quanto cum dolore, quanto etiam cum periculo saepe huiusmodi morbi, vel vitia corporis curantur?

*Corpora vix ferro quadam sanantur acuto.*

Multi emori malunt, quàm eiusmodi curationum acerbitates & cruciatus subire. Id quò planiùs certiusque intelligatur, hominem nobis ante oculos proponamus, vel calculo, vel ruptura, quam *πῆγμα* Græci vocant, laborantem. Vtriusque enim nominis omnino dissimilis sanandi ratio. Sed, ó Deum immortalem, quàm formidabilis? cum quanto cruciamento discrimineque cõiuncta? ita vt eius vel cogitatio ingenti quodam horrore mihi, alijsque, qui non sunt è tigride nati, pectus concutiat. Hunc chirurgus primùm vestibus omnibus exuit, exutum nudatumque in ferali tabula extendit, manus pedesque quàm arctissimè colligat, ad eò vt sese in neutram auertere, immò commouere partem possit. Tum, circumstante ministrorum, pelues, variaque instrumenta tenentium, corona, cultrum præacutum corripit: locum in corpore sectioni designat: moxque hominem, velut sensus omni carentem, secando, vulnus luculentum facit, per factam plagam forcipe, vel etiam manu immersa, intimas corporis partes, vbi doloris sensus acerrimus, rimatur, lapidemque indagat, comprehensum vi summa extrahere conatur. Quo in tormento, quales æger ille, & quàm tristificas voces profundit? vt orat? vt obsecrat? vt per DEVM, per Matrem DEI, per cœlites omnes, per quidquid in ista vita charissimum, obtestatur, se soluat, se liberet, tam diro, tam immani, tam intolerabili cruciatu? se enim illius magnitudinem capere non posse, neque perpeti dolores, à nullo, qui non senserit, satis cogitatos. Et quisquam sit tam ferreus, tam ab omni humanitate desertus, quin hæc aspicienti, & audienti miseratio intimos sensus commoueat, atque conuulneret? Sudat in hoc labore ipse, qui sanat chirurgus, & ad vulnus à se factum contremiscit. At non eadem est ratio sentire, & tollere morbos. Si igitur videnti tam graue est medici ferrum, quid erit patienti?

cienti? Multi, qui eiusmodi sectioni semel interfuerunt, dixerunt, se posthac nulli amplius interfuturos, ne in alieno corpore vulnerentur. Verum quod vitant in vno genere miseriarum, in alio vel inuiti coguntur intueri. Vbi enim homines non agrotant? vbi non lamentantur? Atque hoc in hac vita humana aspiciere & audire in dies pæne singulos licet. *Mille mali species.*

Plato dicere solebat: *Si me interrogares, quo presente, vel absente melius habeant corpora? responderem utique: Sanitate presente, morbo remoto.* Ex qua vrbe, ex qua arce morbi remouentur? vbi locorum sanitas semper est præsens? Neque Tusculi, neq; Romæ asylym est contra inualetudines: neque rarò in ipso *Tibure Sardinia est*: Immodò sæpe vires vbi sperantur restaurandæ, ibi minuantur. Quid quòd etiam

*Curando fieri quadam maiora videntur  
Vulnera, qua melius, non tetigisse, fuit?*

In Taprobana Insula longissimam vitam sine vlllo languore traduci, Artemidorus testatur. At quot in Taprobanam profecti, mortui sunt? Nomina mihi vllum membrum, quod morbo careat infestatore. Pedes podagra, chiragra manus, cacostomachi ventriculo laborant. Alij auribus surdi, alij oculis cæci sunt, alijs dentes, alijs renes dolorem pariunt. Deniq; nulla corporis pars, nullus neruus, nullus locus est, in quo non possit aliquod malum reperiri. *Per singulas membrorum partes, qualiter nullis alijs animalibus, ait historix naturalis Scriptor, certis pestifer calor remeat horis, aut rigore, neque horis modo, sed & diebus noctibusq; arinis, quadrinisq; etiam anno toto.* Ipse cibus, qui est homini ad vitam sustentandam datus, sæpe vitam quatit. Nec sine caussa Diogenes dicere solebat: *Earum domorum, in quibus reperitur copia alimenti, multos esse mures & feles: sic etiam corpora, qua multum sibi caperent, multos quoque morbos asciscere.* Hinc, vt Herodotus tradit, singulis mensibus triduo purgant se Ægyptij, vomendo, atque intestina diluendo, gratia sanitatis conseruandæ: existimantes omnes languores hominibus creari ex cibis. Vnde videas maximè delicatos, & opum abundantia fruentes, sapissimè agrotare,

VII.  
Ficin. lib. 5. de  
hominis natura.

Ouid. lib. 3. de  
Pont. el. 7.

Plin. lib. 7. c.  
2.

Plin. lib. 7.  
nat. hist. c. 90.

Stob. ferm.  
de intemperant.  
Herodot. lib.  
2.



tare, & maiorem vitæ partem in lecto decumbere. Quid hac felicitate infelicius?

VIII.

Quòd si dicas, non omnes his malis & incommodis corporis affligari, multos ita bene cõstitutos esse, ita valentes, ut nunquam, vel rarò morbus eos inuadat, aut aliud quiddam, quod male corpus afficiat. Haud inficior. At non est semper bonum, in bonis esse, atque omnia ad votum habere. Suspecta est meritò prosperitas, quæ tot præambulum fuit æternæ calamitatis. Enimuerò illi ipsi corpore validi, & membris robusti, quàm multis sunt alijs miseris ac discriminibus obiecti? & quidem tantis, ut in illis legantur, audiantur quàm plurimi perijisse? Quot hominum myriades maris fluctibus haustæ, aut ad scopulos allisæ? quanti exercitus in prælijs ceciderunt, aut in bellis consumpti sunt? quot cum ipsis pagis & vrbibus mortales subitis terræ hiatibus absorpti? quot arborum, aut ædificiorum ruinis obriti? quot alijs alij casibus miserandum in modum è vita eiecti? configendum nobis interdum cum bestijs, cum feris, cum belluis, & quod longè miserrimum, cum ipsis hominibus, quibus nulli ferè infensiores, nulli capitaliores hostes, quàm ipsi homines, inveniuntur. Quid enim sibi vult, aut quò spectat illa machinarum, illa tormentorum bellicorum, illa munitionum, illa ensium, & hastarum tanta varietas & multitudo? An non hæc omnia ab hominibus sunt in hominum perniciem ac necem comparata? O quantopere dolendum est, & quàm multis lachrymis deplorandum, neminem homini ipso homine esse infestiorum? Quid enim, cum videas ceteras animantes communione naturæ inter se congregari; alias ab alijs defendi, atque in diuersa dumtaxat genera scuire, solòne homines tam hostilibus inter se odijs arde; tantas, & tam implacabiles iras gerere, tam foedis, tam crudelibus, & plus quàm belluinis se se modis mutuò dilaniare? ita ut verè homo homini lupus veteri prouerbio dicatur: immò

Dan. 6. &amp; 14.

lupo, immò tigride, immò leone truculentior. Danieli enim Prophetæ famelici leones nihil nocuerunt, cui non pepercerunt inuidi susurriones. Quanta porrò nobis, & quàm multa discrimina impendent à sicarijs, à latronibus, à veneficis, ab alijs, qui diu noctuque capitibus nostris pestem & exitium machinantur?

Deni-

Denique nec frater à fratre tutus est. Habemus in profanis historijs Romulum & Remum, Eteoclem & Polynicem: in sacris Cainum & Abelem, Iosephum & fratres eius.

Nihil hoc loco dicam de breuitate vitæ, quæ nos spes verat inchoare longas. Hanc satis declarât illi, qui eam floribus, fœno, fumo, vaporibus comparauerunt. *Quæ est enim vita vestra?* ait D. Iac. 4. 14.

Iacobus, *vapor est ad medicum parens, & deinceps exterminabitur.* Talem vaporem fuisse Marcellum illum Poëta deplorat, quem canit terris râtum fata ostendisse. Tales caduci flores fuere pueri

Israëlitarum, quos in Ægypto omnes ab obstetricibus iussit Pharaon necari. Tale fœnum fuit filius Dauidis, quem languentem nō potuit satis deplorare. Innocentes quoq; infantes ab Herode altero Pharaone crudelissimè demessi fœnum se esse experti sunt.

Quibus merito scribi potuit Epitaphium illud:

*Viuerè vix cepit, iam viuere desit infans,*

*Et nondum vitam nouerat ipse suam.*

*Antè mori quid sit, quam viuere discimus. Eheu,*

*Eheu, quam misera condicione sumus!*

Neque illud abs re eiusmodi puero positum est monumentum.

QV A S LACHRYMAS FINII, MATER INCOEPIT: RISVRA, N I FINISSEM. EHEV MISERA VITA, QV A NEC RISVM HABET, NISI FLETV EXPRESSVM! Itemque

*Alij mori scēs solent,*

*Senex si ego forem, vincerem.*

Atque esto, mors multis in infantia parcat; nec rapiat maiorem in iuuenta, aut virili ætate hominum partem: quàm

tamen brevis est illius vita, etiamsi perueniat ad senectutē? Olim homines septingentos, octingentos, nonaginta annos vixerunt, nunc autem successit ætas vitiosior, decreuerunt mortalium vires, multum imminuti sunt eorum anni. *Epigenes CXXII. annos impleri negauit posse: Berosus excedi CXVII. Durat & ea ratio, quam Petrosiris ac Necepsos tradiderunt* (ait Plinius) *& tetartemorion appellant, à trium signorum portione, qua posse in Italia tractu CXXVI. annos vita contingere apparet. Negauere illi, quemquam XC. partium exortiuam mensuram (quod anaphoras vocant) transgredi, & has ipsas incidi occursum maleficorum siderum, aut etiam radijs eorum*

B

solis q.

solisq. Rursus *Æsculapij* setta, qua *stata* vita *spacia* à *stellis* accipi dicit, sed quantum plurimum tribuat, incertum est. Rara autem esse dicunt longiora tempora, quandoquidem *momentis* horarum insignibus *luna* *dierum*ue *septem* atque *IX.* (qua nocte ac die observantur) *ingens* turba nascatur, *scansit* annorum lege *occidua*, quam *climacteras* appellant, non ferè ita *genitis* *LIV.* annum *excedentibus*. *Primum* ergo *artis* ipsius *inconstantia* declarat, quam *incerta* res sit. Sed quamvis *sideralem* hanc *scientiam* *incertam* esse, adeoque *scientiam* non esse *demus*: *hædquaquam* tamen *dandam* esse *putamus* *nullam* *astris* in *humanam* *vitam* *potestatem*. Cui et si *imperare* possit per *miracula* *Siderum* *Conditor*, tamen etiam *multa* possunt *interuenire*, quæ *positum* à *stellis* *vite* *terminum* *anteuertant*. Quam multos enim *occidit* non solum *ferri* *violentia* *validos* *homines*, sed etiam *immoderata* *vini* *cibique* *appetentia*? Itaque *Breues* *dies* *hominis* *sunt*: & *vera* est *canctio* *illa*: *Homo* *natus* *de* *muliere*, *breui* *viuens* *tempore*, *repletur* *multis* *miseriis*. Quid igitur? an quemquam, in hac *vita*, *felicem*, quemquam *beatum* esse existimemus? ab *omni* *parte* *prorsus* *neminem*.

Iob. 14. 5.  
Ibid. v. 11.

## XI.

*Summa* quidem olim *felicitas* *Q. Metello* tribuebatur, propterea quod iam inde ab *ortu* suo *secundo*, & æquabili *vite* *cursum* *usus*, præter *honores* *amplissimos*, quos *gesserat*, *corpore*, tandem *extrema* *senectute* *laxatus*, à *quatuor* *filijis*, *vno* *prætorio*, *tribus* *consularibus*, *duobus* *triumphalibus*, *vno* *ensorio*, esset in *rogum* *illatus*. *Summæ* etiam *beatitatis* *fuisse* dicebatur *Lacedæmonia* *quædam*, quod *regis* *filia*, *regis* *vxor*, *regis* *mater* *fuisset*: *Summa* quoque *fuisse* credebatur *prosperitas* *familie* *Curionum*, in qua *tres* *continua* *serie* *Oratores* *extitissent*. *Summa* denique *felicitas* *celebrabatur* *Fabiorum*, in quibus *tres* *continuo* *Principes* *senatus* *fuisissent*. Inprimis *rara* est hæc *felicitas*: quemadmodum etiam *pro* *miraculo*, & *id* *solitarium* *reperitur* *exemplum*, *Xenophilum* *musicum*, *centum* & *quinque* *annis* *vixisse*, *sine* *vlo* *corpore* *incommodo*. Deinde *has* *felicitates* (si quidem *felicitates* *verè* *possint* *appellari*) *quot* *infelicitatibus* *fuisse* *permistas*, *implicatas*, *contaminatas* *existimabimus*? An non *magnos* *honores*, *magnæ* *invidia* *insidie*que *comitantur*? an non in *longa* *vita*,

Plin. lib 7.  
nat. hist. cap.  
40.

vita, & sana, longæ curæ, sollicitudines, lites, mille inquietudines intercurrunt? Et si vel Nestorem annis superares, quid sunt illi comparatione æternitatis? *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesternæ, qua præterijt. Et custodia in nocte, que pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Manè, sicut herba transeat, manè floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Itaque si vel cerui ætatem, immò si vel Mathusalæ sæcula viuas, de te dici poterit: *Breues dies hominis sunt;* itemque: *Homo natus de muliere, breui vivens tempore, repletur multis miseris. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.* Hanc vitæ brevitatem agnovit, qui ita oravit: *Pancitatem dierum meorum nantia mihi;* Et cuius hæc fuit interrogatio: *Numquid non pancitas dierum meorum finietur breui?* Ac Iacob à rege Ægypti interrogatus: *Quot sunt dies annorum vita tua?* Respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali, & non perucnerunt usque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Itaq; sicut peregrinis, & ad patriam suam tendentibus, bene non est, quàm diu sunt extra patriam, ad quam anhelant: ita hominibus, quàm diu cumque vivant in hac terra, in qua à Domino peregrinamur, semper tamen, velut exules, habent, quò anhelant; & tandem morte finiuntur.

Mors vltima linea rerum, miseriarumque humanarum summa est in hac vita, ac maxima. Moriendi necessitas nobis nascentibus imposita, vinculis ita nos tenet colligatos, vt eadere, aut effugere nulla ratione possimus. In numero Deorum, quos veteres colebant, etiam ille reponebatur, quem Deum Terminum nominabant. Huic Numam Pompilium regem sacellum construxisse memoriæ proditum est. Consequentibus autem annis, Tarquinius Capitolium ædificaturus fertur Deos consuluisse, num Iovi cedere vellent? cedentibus reliquis, solùm Terminum remansisse. Huius proinde imaginem quidam pingunt statuam, seu saxum quadratum, cuius superior pars hominis figuram continet, cum hac inscriptione, C E D O N V L L I. Hæc statua mortem significat, cui cum omnia cedant, ipsa cedit omnino nulli, O tristis, ô funesta, ô truculenta mors! tantane tibi in

B z

ree

XII.

res humanas concessa potestas? Tanta. Ergo nec inuictissimis Imperatoribus, nec potentissimis Regibus, nec Serenissimis Ducibus ac Principibus, nec alijs quocumque cum imperio, quacumq; cum potestate sint, cedis? CEDO NVLLI. Non Pontificibus, non sacrorum ac religionum Antistitibus, non amplissimo sacerdotio præditis viris? NVLLI. Non sanctissimis, Deoque plenis vatibus? non diuinis illis à Christo in orbem missis Euangelij internuncijs? Non omnibus sanctitatis ac virtutis laudibus cumulatis? NVLLI. Non Socrati, non Platoni, non Aristoteli, non Salomoni; non Hieronymis, non Ambrosijs, non Augustinis, non Gregorijs, non Basilijs, non ceteris sapientiæ doctrinæque luminibus? NVLLIS. Quoniam igitur nullis potentiæ, vel sapientiæ, vel doctrinæ, vel sanctitatis ac virtutis viris cedis, saltem parces supplicibus? Non parco. Valebunt aq; te preces? minimè. At lachrymæ te mollient? Nihil. Munera? tantundem. Ergone tu penitus inexorabilis? penitus inexorabilis. O *Capitoli immobile saxum!* Verè Orpheus in Hymnis dixit:

*Nec prece, muneribus nec tu placabilis vlli.*

Quam ob causam veteres morti neq; ritus & carimonias, neq; sacerdotes, neque sacrificia vlla attribuerunt; cuius sanè tyrannus hoc crudelior, & formidabilior est, quòd in omnem vitæ nostræ partem desæuiat; deque ea iam inde à prima huius lucis vsura perpetuò aliquid deterat, atque decerpit. *Quotidie namq; vt sapienter norat Romanus Sophus, morimur, quotidie demitur pars vitæ, & tunc quoque, cum crescimus, vitæ decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quidquid transijt temporis, perijt. Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit: sic vltima hora, qua esse desinimus non sola mortem facit, sed sola cõsummat. Tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Eandem pænè sententiam non inuenustis versiculis Thomæ Moræ, vir ingenij, doctrinæ, virtutis & martyrij gloria clatus expressit, quos libet referre.*

*Nugamur, mortemq; procul, procul esse putamus,*

*At medijs latec hac abdita visceribus.*

*Scilicet*

Scilicet ex illa, qua primùm nascimur hora,  
Prorepunt iuncto vitæque, morsq; pede.

Quid igitur hoc breue, hoc miserum, hoc calamitosum æuum quod agimus in terris, esse dicemus? vitæne? at enim morimur, & vt idem Morus ait, *interea dum loquimur, morimur*. Mortem? attamen viuimus. quid igitur? Vitam, opinor, mortuam, aut mortem viuentem non absurdè appellabimus. Rectè nonnulli exilium, rectè ergastulum, rectè Camerinam, rectè Iernam malorum, rectèissimè *vallem lacrymarum* appellauerunt. Et vita est verè fletu digna, de qua cum homines querantur, datâ, formident tamen auferendâ. Quid miserabilius est, quàm ærumnas nec pati velle, nec finire? Sed de his sat est dictum, tanta enim earum est multitudo, vt neque Ilias eam complecteretur. Videamus nunc, quo iudicio, quibusue de causis earum etiam reliquas voluerit in mundo, immò mundum in illis esse diuina prouidentia, sub quam omnia cadunt, & cum Poëta hoc caput finiamus,

*Verè dicitur, estq; terra vallis  
Amarissima, Paule, lacrymarum,  
Et plenissima, Paule, lacrymarum.  
Paremus Strophium, & sinu geramus.  
Quod bibat lacrymas quotidianas:  
Quas fleas, dabit omnis hora causas.  
Dolorum omnium amaritudinumq;  
Ærumnabiliūq; lacrymarum,  
Hac est patria; Terra nostra vallis,  
Non potest aqua vallibus deesse.*

Bernhard.  
Bahuf, lib. 4.  
Epigram.

## C A P V T II.

Ob quasnam causas DEVS humanam vitam tot tantisq; voluerit esse miseris repletam?



Quoniam igitur diuina vox est illa: *Ego Dominus, & non I. est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hac; Isa. 45. 7.* à bono autem Deo mali nihil potest esse, consequens est, bella, & famem, & morbos, etsi nobis mala aut sint, aut videantur,

B 3

tamen,